




PALAEASTRA LATINA



S U M M A R I U M

ANNUS VERGILIANUS. (*Thomas M. Planas*).

AD B. VIRGINEM DE MONTE SERRATO. (*Josephus Llobera*).

CONLOQUIA IN SCHOLA.

NOVA ET VETERA: Hispania ecclesiastica. (*I. González*).

COMMERCIO EPISTULARE.

VARIA. (*Carolus Catá*)

CURSUS GYMNASTICUS: (*M. López de Zubiria*).

EXERCITATIONES SCHOLARES.

PER ORBEM: (*J. M. Giral*), (*E. J.*).

BIBLIOGRAPHIA: (*E. Jové*), (*H. Martíja*).

Libri in Actuaria accepti

Collection Delmás Pour l'enseignement pratique des langues vivantes par l'image et la méthode directe. I. Tableaux muraux en cœleurs (90 x 1'20 m.), II. Tableaux auxiliaires Delmas. Edit, en 8 langues: Allemand, Anglais, Espagnol, Esperanto, Flamand, Français, Italien, Russe, 15 dessins accompagnés du vocabulaire correspondant. III. Livres explicatifs des 16 Tableaux. IV Cours de Français en méthode directe.

Rochelle, E. «Méthode directe dans l'enseignement des langues vivantes» (Conferences). 12.^e éd. 86 pag.—Comment doit-on se servir des T. A. D. et du Cours de Français en méthode directe?—25 pag. (G. Delmas, 6. Place Sant Cristòly, Bordeamux 1927)

Publicaciones del Seminario Menor de S. Ignacio. Versión literal de algunos números de la Crestomatía griega.—8.^o pág. 17. Oraciones latinas.—4.^o pág. 12. Temas de composición latina.—2.^o grado—Clase Media.—8.^o pág. 63. Temas de composición latina—tercer grado—Clase de Suprema.—8.^o pág. 160. Geografías en forma de lotería, pág. 191. (Plaza de Cervantes, 7 i Ciudad Real).

Auguste Turlopine. Virgilio (Psicografía).—Pág. 223. (Casa editorial Arauce, Calle de las Cortes. 392-Barcelona-1931).

Terzachi, N. «Oracio». A. F. Formiggini, editore in Roma, 88 pag.-1930.

Marciiale «Epigrammi» Con Introducción y commento di G. Caramia. 122 págs. 6 lire Libr. Editrice Francesco Perelia S. A. Napoli-Città di Castello.-1931,

Curación Externa del Dolor

Lápiz Termosán

Suprime rápidamente el dolor o la congestión, atacando la inflamación. Se presenta en forma de una barrita de facilísimo empleo. Olor agradable. Se aplica tal cual se presenta, sin tener que hacer ninguna preparación previa.

Se vende en las principales Farmacias al precio de ptas. 4'25 el tubo. Remitiendo su importe en sellos correo o giro postal, se manda certificado, dirigiéndose al Depósito General: Ramón Sala, calle París, 174 - Barcelona.



MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotacionis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

ANNUS VERGILIANUS

Cicero et Verres. Hujus causa et exilium

Tenui quidem caligine opus aliquatenus obfunditur quod Pompejus et Crassus anno consulari 70 confecerunt, quamquam momentum ejus scriptores certo agnoscent. Illud minus eminet quidem ac re vera praepotenter: oratio, inquam, Ciceronis in Verrem, cuius causa, uti videtur, Pompejus tribunatum restituit ac Senatores inter et Equites distribuit censuram. Silentio tamen, ne insinci videamus, nullatenus committemus illam auctorum opinionem, quod utriusque consules ob munus suscipiendum ex simulata invidia sibi invicem inconstantes, postea in honore palam districti sunt ut, quae laudis digna effecerint, ea in unum Pompejum inciderent, cum Crassus nihil nisi commodis divitiisque vacare studuisse.

Verris caussa. Atra eaque intricatissima quaestio Romae erat agitanda; namque Siculi in L. Verrem, nequissimum Praetorem, decedentem ab insula, vocem extollebant accusantes. Verres, nequam canis, insaniae dotes, quibus potentiores decorabantur, supra modum possidebat. Paucis ante annis Praetoris urbani obierat munus ejusque omnibus pravissima vita nota erat; in Siciliis vero et iugis rapi- nae et non velata libido tribus recens delapsis annis miserae gentis,

sortis quidem dignae melioris odium et malivolentiam suscitarunt. Nunc autem ille suo munere cessans et in judicium vocatus, ita pecunia judices conruperat, ut se damnari non posse palam gloriaretur.

At Siculi honestissimae Ciceronis quaesturae memores, delatorum selegerunt, cum eumdem ambiens honorem, iter Ciceroni praecoccupare intendit simulatus Verris inimicus, Q. Caecilius Niger. Quapropter Cicero, priusquam causam adsumeret, orationem in sui favorem adversus Caecilium protulit, quae suis optatis omnium consensu favit. Senatus praestitutos dies Oratori concessit, ornandae accusationis gratia; ac Cicero, scelestos Verris conatus agnoscens qui in sequentem annum causam differre expetebat ut et Consules et Siciliae Praetorem judicesque non paucos muneribus corruptos ad se traheret, in Siciliam secum patruelem Lucium adducens transmeavit oportunas gesturus inquisitiones: inde dimidio tantum temporis, sexaginta nempe diebus, testium declarationibus in Provincia congestis munitus, inopinato Romam revertitur et Urbis urget Praetorem, ne, quoniam erant cuncta parata, omnino caussam differret. Est profecto agitata, eaque et testium et factorum et argumentorum copia Romanus Orator suum vehementissimum sermonem evolvit, ut Hortensius, «Rex Fori», rei patronus, Ciceroni respondere minime potuerit; et Verres, ignominia subfusus sententiamque praeveniens, postquam Siculis 45.000.000 sestertium rapinarum fructum restituisset, in exilium suapte sponte perrexit.

Antea innueram Verrem, veram optimatum illius aevi imaginem esse, qui criminum facinora magnis largitionibus occulerent. Quare haec strenua conlilio magnates laesit ac Pompeji animum adduxit ut inmoderatae eorum cupiditati temperaret.

Quae omnia mirum in modum sic describit Duruy: «Quamquam Cicero prima oratione potuit caussam censere conclusam, usque in exilium tamen facundia vindice Verrem persecutus est, nam scripto edidit quae dicere non potuerat; longe lateque crima exposuit illius pestis horrenda et ut initio sic in fine optimatum ordinibus comminatus est. Hoc quidem anno 70 senatoribus erat piandum. Tribunatus, qui pristinis restituebatur juribus, quod ab Sulla acceperant, reliquum autem dimidia ex parte eis adimebat Verris judicium. Eorum ordo apud cives labefactatus sub censuram rursus incidit quae eo ipso tempore restituta est; 64 senatores capite sunt diminuti quos scommate Cicero vehementer insectabatur.»

Igitur illa caussa Cicero ita plebis amorem gratumque ad se animum adlexit ut universae posthac dignitates (a quaestura et aedilitate ad Consulatum anno 73 obtentum) communi plausu ei tribuerentur. Quod ad Verrem attinet, in exilio sordidam egit vitam donec

propter avaritiam proscriptus, morte ignominiosa vita migravit. Cicero tandem maxima laude equitum ordinem decoravit, quicum hoc anno Senatores censuram diviserunt.

Bella externa - Viri inlustres - Conclusio

Restat tantum ut de bellis exterioribus ac de praestantissimis viris verba faciamus.

Bellum Mithridaticum. — Hoc primas habet partes quod anno 70 Romanorum animos nondum sollicitare desierat, quippe quod ab anno 88 ad 63 protractum fuit, donec Pompejus, profligato Mithridate atque occiso, omnes regiones armis superatas Romanorum more valuit constituere. Ab anno 74 ad 64, tertium et postremum dimicatum est adversus exosum Ponti Regem sub inlustri excultoque Duce Lucullo qui, quod militibus invisus devenerat, Pompejo locum cessit, hicque bellum complevit. Ex duabus quas Lucullus adsecutus est victorias, altera ipso anno 70 lucrata est ubi Eupatoria, Amissio, Synope urbibus in Ponto expugnatis, in Asiam se contulit ut ab usurariis eam Provinciam rapina diripientibus, rationem posceret.

Viri inlustres. — Oratores inter eminet Hortensius, quem Cicerone «maximum» appellat, quiq[ue], aemulatione non obstante, magna semper amicitia cum oratorum maximo, Cicerone conjunctus fuit, vir insuper «cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est». Cottam et Sulpicium in medium adfert Cicero in aureo «De Oratore» libro. De illis scribit Orator: «Cotta acutissimum et subtilissimum dicendi genus consecutus est. P. Sulpicius fortissimo animi impetu, verborum ea gravitate et copia ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.»

His divinus Julius Caesar est adnumerandus. Nuper laudati anno 70 forum totumque Senatum implebant. His antecesserunt L. Crassus, M. Antonius et Scaevola, qui artis oratoriae paene fastigium attigerant.

Historici illius aetatis memoria digni sunt C. Licinius Macer, turgido atque inflato dicendi genere praeditus, a Tito Livio tamen et Dionisio Halicarnassensi bene exceptus; Manilius qui juris dicendi fuit quoque peritus; L. Cornelius Sisenna, qui cum Hortensio Verrem contra Ciceronem ausus est defendere, «vir — ut novissimus ait — doctus et studiis optimis deditus»; Q. Valerius Antias demum qui Annalia ab Urbe condita conscripsit.

Poësis Titum Lucretium Carum eximium cultorem habebat qui eo anno dicitur vita functus esse quo Vergilius togam induerit

virilem. Catullus plus minus decimum septimum aetatis annum agere creditur cum Vergilius lucem mundi advenit. Praeter eos adnumerare licet P. Valerium Catonem, C. Licinium Calvum, Helvium Cinnam, M. Furium Bibaculum, P. Terentium Varronem, qui quamvis nobiles parvis tantum fragmentis quae exstant dignosci valuerunt. A. Furius undecim Annalium libros exaravit; C. Titius tragoediae operam non despiciendam inpendit; T. Quinctius Atta, S. Titius aliique.

Conclusio.—Atque finem facimus lucubrationis nostrae. Romanum conspeximus jam ab incunabulis crescentem et temporum decursu cunctis terrarum finium dominam recoluimus. Brevis ille conspectus armorum Romanorum victorias prae oculis nostris obtulit, donec lux illa splendescens inluxit qua Vergilius, dulcissimus poëtarum, mundo est ortus. Sparthacium posthac bellum recensuimus quod Pompejo Crassoque ad consulatum viam stravit. Hujus deinde consulatus indolem et vim historicam notavimus atque Consulum memoranda facinora, ab celebrioribus Verrinis incoepiti, quae semitas progressus atque vitae Reipublicae patefecerunt.

Jam tandem ab sermone vobiscum amicissime inito, lectores humanissimi, recedo; parcite precor et valete. Ipse autem hisce meis paginulis iisdem, quibus auctor Romanae Historiae clarissimus, verbis finem inpono: «Ipsi Deo pro opere finito laus sit et gloria in omne saeculum maxima».

THOMAS M. PLANAS, c. m. f.

Ad B. Virginem de Monte Serrato

UT REBUS HISPANIAE AFLICTIS OPEM FERAT.

Heul velut abreptam violento turbine cymbam
Fluctibus in mediis ventus et unda quatit,
Haud aliter miseros discordia jactat Hiberos,
Volvit et huc illuc, immus et aestus agit.
Nobis jam pridem confusum fasque nefasque:
Hic pavor atque illuc, caecus ubique timor
Et pietas devicta jacet fraterna, jacetque
Gratia, concurrunt pectora pectoribus.
Quis regat arte ratem commoto turbine tanto?
Quae portus monstrat stella benigna viam?
Diva, rege arte ratem conmoto turbine tanto,

Tu portus monstra, STELLA benigna viam.
Diva, decus Superum, Superis formosior ipsis,
O Lux, quae radiis Solis amicta nites!
Aspice ut horrendum trepidet nostra aequore in alto
Turbinis acta metu naufragiique ratis,
Te spectat sidusque Hispania poscit amicum,
Tutum et sperat iter sidere tuta tuo.
Si Tibi mons placuit fractique cacumina montis,
Templaque praeruptis si placuere jugis,
Si quos vidisti totiens procumbere ad aram
Reges, si totiens plebs imitata duces,
Si placuere Tibi sollemnia festa soluta
Anni milleni cum rediere tui,
Si scaeptrum regale placet soliumque superbū,
Si diadema placet, si placet iste PUER,
Supplicibus miseris si non desueta juvandis,
Si lenis sensus es memor usque tui,
Alma, fave, miserere tuorum
A tantis malis eripe, namque potes.
Tristia te tangant miseri suspiria Hiberi,
Tuque Hispana sibi pectora junge fide.
Quid non speremus, quid non, mitissima, de Te?
O, duce Te, Hispani prospéra cuncta gerant!
Te duce, victores, Te, Relligionis in hostes
Praecipitesque cadant, praecipitesque ruant!
Ut celeres revolant, aquila veniente, columbae,
Ut pavidae trepidant voce leonis oves;
Inpietas vecors paveat sic agmina Christi
Signaque convertat pulverulenta fuga.
Sic Tibi votivos persolvat Hiberia honores,
Sic niteant altis munera fixa tholis,
Sic Tibi major eat longinqua in saecula cultus,
Sic ara fument tradita tura foci,
Annue sollicitis, rerum dulcissima, votis,
Sollicitae clemens annue, Diva, preci.

Josephus LLOBERA, S. J.

Conloquia in schola

Dies scholae postremus

(HENRICUS, THOMAS, RUPERTUS)

- H. — *Tandem de curriculo actum est. Quod cum omnium sit extremum perpetuo conclusa est nobis schola.*
- T. — *Id quidem verum est; ultra schola non erit.*
- R. — *Non erit amplius schola, neque lectio- nes, neque reprehensiones, neque re- clusiones, neque...*
- T. — *Sed haec satis, Ruperte; de his memi- nisse nolito.*
- H. — *Non ideo laetor scholae valedicens quod reprehensiones effugiam vel lectionis studium vel id genus alia. Id quidem gaudeo quod hodie primum vir esse videor.*
- T. — *Sane; perspicuum est te nullam exper- tum esse reprehensionem.*
- H. — *Contendi semper ne unquam in culpa essem atque ita me esse adsecutum puto.*
- R. — *Admodum; cum tuis dolis optime ma- gistris imposuisti.*
- H. — *Ruperte; tu me lacesisti probro. Me semper cum omnibus simplicem praes- titisse non ignoras: cum magistris et vobiscum condiscipulis atque amicis meis. Nunc ipsum, quamquam maxime infuriam doleo in me inlatam, ex ani- mo tibi ignoso.*
- R. — *Ita quidem; ignosce mihi, Henrice. Cum tam saepe docuerit Magister cum omnibus nos bene gerere, ipse nihil magis lectionem hanc edidici.*
- H. — *Dixi jam me tibi pepercisse. Celerem habes linguam sed optimam volunta- tem.*
- T. — *At vero haec pili faciamus. Quid au- tem hac vespera machinabimur?*
- R. — *Henricus loquatur qui ex tribus doc- tissimus et optimus est.*
- T. — *Utique, Henrice; omnia expedito. Haec vespera nobis insigniter transigenda est; tanti eventi recordandi sane dig- nissima.*

El último día de escuela


(ENRIQUE, TOMÁS y RUPERTO)

- E. — Por fin ha terminado el curso. Co- mo éste es ya el último, terminó para siempre la escuela.
- T. — Es verdad, no más escuela.
- R. — No más escuela, ni lecciones, ni reprehensiones, ni encierros, ni...
- T. — No sigas, Ruperto; no recuerdes es- tas cosas.
- E. — Yo me alegro de dejar la escuela, pero no para no ser reprendido, ni tener que estudiar la lección, ni otras cosas por el estilo... Me parece como si hoy comenzase a ser hom- bre.
- T. — Claro, claro, como a ti nadie te re- prendió.
- E. — Hice porque no tuvieran que repren- derme y creo haberlo obtenido.
- R. — Sí, con tus hipocresías engañaste muy bien a los maestros.
- E. — Ruperto, me has injuriado. Sabes que siempre fuí sincero con todos: con los maestros y con vosotros, con mis condiscípulos y amigos. Ahora mismo aunque siento mucho la injuria que me has hecho, te per- dono de corazón.
- R. — Sí, perdóname, Enrique. ¡Tántas veces como el señor Maestro nos enseñó que tratáramos bien a todos y aun no he aprendido la lección!
- E. — Ya te he dicho que te perdono. Tie- nes la lengua pronta pero buen co- razón.
- T. — ¡Bueno, palillos a la mar! y a ver qué hacemos esta tarde.
- R. — Que lo diga Enrique que sabe más y es el mejor de los tres.
- T. — Sí, Enrique; a disponer las cosas. Es cuestión de pasarnos una tarde soberana; una tarde digna de tan memorable fecha.

- H. — *Velitis jubeatis, amici.*
- R. — *Bene habet; cito autem, est enim jam hora quarta atque adicit haec vespera.*
- H. — *Aliud me hoc tempore tangit.*
- T. et R. — *Quidnam id est?*
- H. — *Nonne campanas Paroeciae auditis?*
- R. — *Jam dudum audio. Ad Sacri Cordis mensem nos invitant.*
- H. — *Ita vero; et mihi in mentem venit...*
- T. — *Ne cesses proloqui.*
- H. — *In mentem venit per septem hos scholae annos, Deum nobis plurimum fuisse; de quibus Ei gratias agere oportet.*
- T. — *Divino equidem. Id tibi venit in mentem, quod Cordi Jesu gratias acturi veniamus.*
- H. — *Id quidem consilii est. Si libet hac vespera mensem Cordis Jesu ferventer perficiemus, agemus Ei gratias et ut nos adjuvet in vita nova ab Eo flagitabimus et alio die ad fontem Christi pergemus ubi cum pingui merenda amicitiam nostram ex integro consignemus.*
- T. — *Rectissime autumasti. Ita cogitas, Henrice, ut homo es.*
- H. — *Quidquam restat adhuc. Magister quoque maximis nos cumulavit beneficiis. Nihil est quod eum ad mensem invitamus, nam singulis diebus ibi praesens adest. Ad merendam quidem est nobis invitandus. Quid vobis videtur?*
- T. — *Mihi peropportune.*
- R. — *Mihi vero commodissime. Tantum superest ut diem ad merendam constituamus.*
- H. — *Aptissimus erit dies crastinus. Hodie, duodecimo Kal. Julias id faciemus, cras autem undecimo, festo Sancti Aloisii juventutis Patroni hora tertia postmeridiana in via ad fontem jam versabimur.*
- T. — *Videris, Henrice, desuper adflatus.*
- H. — *Non loquor adflatus sed tamquam puer scholarum curricula jam permensus, qui nunc incipit homo esse et suos honestare magistros.*
- E. — *Pues que lo deseáis, así lo haré.*
- R. — *Buenó pero pronto, que son las cuatro y la tarde está tentadora.*
- E. — *A mí otra cosa me tiene en estos momentos.*
- T. y R. — *¿Cuál?*
- E. — *¿No oís las campanas de la Parroquia?*
- R. — *Hace rato que las oigo; están tocando al Mes del Sagrado Corazón.*
- E. — *Eso es, y me ha ocurrido...*
- T. — *Dilo pronto.*
- E. — *Me ha ocurrido que durante los siete años de escuela Dios nos ha hecho muchos favores y convendría darle gracias.*
- T. — *Ya comprendo. Te ha ocurrido que vayamos a dárselas al C. de Jesús.*
- E. — *Esa era mi idea. Si os parece, esta tarde hacemos con fervor el Mes del Corazón de Jesús, le damos gracias, le pedimos que nos ayude en la nueva vida y otro día nos vamos a la fuente de Cristo a sellar de nuevo nuestra amistad con una buena merienda.*
- T. — *Muy bien pensado. Discurses querido Enrique, como quien eres.*
- E. — *Falta todavía una cosa. También el señor Maestro nos ha hecho muchos favores. No hay porque convidarle al Mes, porque va todos los días. A la merienda sí que hemos de invitarle. ¿Qué os parece?*
- T. — *A mí de perlas.*
- R. — *Y a mí. Sólo falta ya señalar el día de la merienda.*
- E. — *El día es muy indicado: mañana. Hoy, 20 de Junio, hacemos lo dicho, y mañana 21, día de S. Luís Patron de la Juventud, a las tres de la tarde estamos ya de camino hacia la fuente.*
- T. — *Enrique, parece que estás inspirado.*
- E. — *Inspirado, no; hablo solamente como un niño que ha terminado la escuela y que desde hoy empieza a ser hombre haciendo honor a sus Maestros*

NOVA ET VETERA

Hispania ecclesiastica



Nulli in dubium veniet, quin Hierarchia in Hispania ecclesiastica non modo antiquissima, verum tum veterum tum recentiorum populorum fuerit magis inlustris atque egregia. Neque aliter poterat evenire, quippe de christiana fide a duobus Apostolis, Jacobo et Paulo, ipsis fere institutae Ecclesiae primordiis, terra illa est edocta. Non eadem vero, aetate procedente, fuit illius Hierarchiae constitutio. In praesentiarum brevitatis caussa eam, quae in Concordatu anno 1851 exarata est, constitutionem dioecesanam obiter perstringemus.

Etenim ex superiori sanctam Sedem inter et Gubernium Concordatu, novem admodum statuuntur sedes metropolitanae, illis, quae ante exsisterant, adjuncta Vallisoletana. Tres deinde et quadraginta sedes suffraganeae percensentur, in posterum permansurae. Labetensis, Barbastrensis, Sebtensis, Rodericensis, Ebusensis, Celonenensis, Nivariensis, Tudelensis existentes, ex illo documento erant in posterum omittendae. Ut nunc est, sola sedes Septae Labetique relicta, dum ceteris administrator apostolicus datus est atque ille episcopali auctoritate auctus. Tres praeterea novae dioeceses, Matriti,

Cluniae, Victoriae, constituuntur; Cluniensis vero, vi Concordatus statim exigenda, non nisi anno 1875 sub forma Prioratus nullius fit matura. Dioecesis Navariae e contra primum omissa, anno vero 1877 est redintegrata.

Jam vero his dioecesibus sunt hodie 20.000 paroeciae ad fideles proxime pascendos, quibus sane auxilia praebent septem et nonaginta Seminaria vel Conlegia. Alumni non pauci se accingunt, qui longe lateque semen evangelicum spargant. Anno scholari 1929-1930 numerus alumnorum superabat tredecim milia, qui in dies, Deo favente, cura atque studio animarum non poterit non augeri. Mессis quidem multa, operarii autem pauci!

Dioeceses Hispanae

I 1 <i>Tarraco</i>	Tarragona	3 <i>Tuda</i>	Tuy
2 <i>Dertusa</i>	Tortosa	4 <i>Lucus</i>	Lugo
3 <i>Ilerda</i>	Lérida	5 <i>Mondonium</i>	Mondoñedo
4 <i>Urgellum</i>	Urgel	6 <i>Ovetum</i>	Oviedo
5 <i>Celsona</i>	Solsona		
6 <i>Vicus</i>	Vich	VI 1 <i>Vallisoletum</i>	Valladolid
7 <i>Gerunda</i>	Gerona	2 <i>Segovia</i>	Segovia
8 <i>Barcino</i>	Barcelona	3 <i>Abula</i>	Ávila
II 1 <i>Caesaraugusta</i>	Zaragoza	4 <i>Salmantica</i>	Salamanca
2 <i>Terulium</i>	Teruel	5 <i>Civitas Roderici</i>	Ciudad Rodrigo
3 <i>Tarasio</i>	Tarazona	6 <i>Asturica</i>	Astorga
4 <i>Tudela</i>	Tudela	VII * <i>Clunia</i>	Ciudad Real
5 <i>Pampelo</i>	Pamplona	VIII 1 <i>Hispalis</i>	Sevilla
6 <i>Jaca</i>	Jaca	2 <i>Gades</i>	Cádiz
7 <i>Osca</i>	Huesca	3 <i>Corduba</i>	Córdoba
8 <i>Barbastrum</i>	Barbastro	4 <i>Pax Augusta</i>	Badajoz
III 1 <i>Toletum</i>	Toledo	Fortunatae	Canaria
2 <i>Placentia</i>	Plasencia	Nivaria	Tenerife
3 <i>Cauria</i>	Coria		
4 <i>Matritum</i>	Madrid	IX * <i>Gibraltaria</i>	Gibraltar
5 <i>Seguntia</i>	Sigüenza	X 1 <i>Granata</i>	Granada
6 <i>Concha</i>	Cuenca	2 <i>Malaca</i>	Málaga
IV 1 <i>Burgi</i>	Burgos	3 <i>Almeria</i>	Almería
2 <i>Uxama</i>	Osma	4 <i>Civitas Accitana</i>	Guadix
3 <i>Palentia</i>	Palencia	5 <i>Giennium</i>	Jaén
4 <i>Legio</i>	León	6 <i>Carthago (Nova)</i>	Cartagena
5 <i>Portus S. Andreæ</i>	Santander	XI 1 <i>Valentia</i>	Valencia
6 <i>Victoria</i>	Vitoria	2 <i>Oriola</i>	Orihuela
7 <i>Calagurris</i>	Calahorra	3 <i>Segobrica</i>	Segorbe
V 1 <i>Compostella</i>	Compostela	4 <i>Ebusius</i>	Ibiza
2 <i>Auria</i>	Otense	5 <i>Majorica</i>	Mallorca
		6 <i>Minorica</i>	Menorca

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Commercium Epistulare

A. Reixach, Emm. Jové, C. M. F. S. P. D.

Pax et bonum, mi carissime.

Quam primum in *Alma Roma* desideravimus Romani Pontificis Urbi et Orbi ope radiophoniae Marconianae radiatam orationem, eam in PALAESTRA LATINA Cervariensi ad verbum descriptam magno cum gaudio legere potuimus: grates igitur vobis amplissimas. Evidem quo die praefata oratio habita fuit, impigre ad amicum radiophonum laetanter concurremus tanti Pontificis vivae vocis audiendae cupidissimi; sed, heul vix voti compotes fieri potuimus ob continuum concomitantem strepitum. Vocem quidem, eamque virilem, Beatissimi Patris nostri huc illuc audivimus, aliquasque sententias clare perceperimus; ast integrum sensum capere omnino non potuimus. Certe in lingua vernacula totam Christianae reipublicae Moderatoris mentem dehinc cuique datum est sapere; catholica autem, ut ita dicam, lingua, Latina scilicet, qua Christi in terris Vicarius uti voluit, Latini sermonis studiosos juvat plus plusque delectat.

Gratulandus sane Christiani nominis Pater et Magister qui magistralem ac paternam vocem suam Urbi et Orbi audiendam praebuit, et quidem latine. Latine enim ad omnes gentes sese convertit Pius pp. XI, ut omnes gentes Latinam linguam ne pertimescerent, immo vero eam colere arderent. Qua re plane ostensum est quam commendandus sermo Latinus quantique nobis omnibus habendus sit classicus ejus usus.

Igitur ne cesses, mi Pater, tua ex Palaestrica Cathedra et nostras et exteris gentes *catholica* hac lingua informare, ut optime facis, quo tandem aliquando terra tota, veluti unum ovile unum Pastorem una lingua adloquentem libertius audiat atque intellegat.

Parce mihi, queso, si longius quam par erat gratus et memor ad te scripserim.

Septuagenarium fratrem salutare meo velis nomine. Bene valeat ipse sua in proiecta aetate, sicut nos in nostra, Deo gratias.

Fac valeas et tu, et te tibi et Latinis litteris diu servabis. Etiam atque etiam vale et me tibi addictissimum habeto.

Vici, IV Id. April. 1931.

Emmanuel Jové, C. M. F.
Dri. Antonio Reixach Professori S. D.

Ad eas quas proxime dederas frustra responsionem speraveris; constitueram enim publice in commentario nostro respondere. Nunc autem quam longe ab illis temporibus adsumus! Saeculum paene pertransisse dixerim, cum omnia in re publica sint adeo permutata. Sed nunc nostrae litterae magis Ciceronem sapere possunt, qui ea aetate scripsérunt qua nihil regno magis esset invisum. Sed jocari nolo.

Gaudeo mehercule prius ad te pervenisse per Palaestram adlocutionem Latinam a Pontifice irradiatam, quam aliunde; idque tibi placuisse, scire maxime celebro.

Septuagenarium tuum eumque tamen vegetum fratrem abs te salvare jussi, qui gratus salutem tibi reddere per me curat. Valet ille et tu fac valeas, meque ad altare resque nostras Domino atque Dominae commendare ne desistas.

Cervariae, Nonis Majis.



Varia

Electris fons motus

Animi quisquam obstupefactione adripitur, quando sibi primus aditus patet in tabernam centenis constantem adparatibus, qui motu perpetuo impelluntur strepitu quodam obsurdescente. Corrigiae innumerae ab uno alterae, alterae a pluribus axibus communibus proficentes aulam decussant, ita ut in omnes machinas, quas locus capit, transfundant motum. In trepidatione hac, peculiari potissimum in textrinis fabricis, tibi ingredienti opifex et stationarius et brachialis decussatis fortassis obversabitur, qui ante 3 vel 4 textrinas id tantummodo curat ut ipsae uniformiter agant. En quam sorte diversa hodiernae atque pristinae aetatis opifex! 70 aut 80 abhinc annis pariter cum textrinis incessanti motu operarius agitabatur, panuclia ipse conjiciens. Paulo post eo functa munere est vaporaria machina ab immortali James Watt feliciter inventa, cuius substdio opificis sane molestiae maximopere relevantur. Ista per vaporatam aquam embolum, hic rursus verticulum, qui vi cissim arborem seu axem generalem in quem ceteri adparatus convergunt, conmovet. Hujuscemodi processus sumptibus haud parvis id maxime peragebat ut accensus in aheni foco ignis semper remaneret. Qua de caussa, ubi electris fuit inventa, conatus omnes ad opus sunt adhibiti ut in motum verteret, quem post prolixa ac repetita tentamina sunt adepti. Istius rei gratia fabricae majore velocitate quam antea centur, quodque magis mirandum minimis dispendiis ac nullo paene labore. Nunc autem quodlibet tum parvum cum magnum motorium in aulae angulo oblivioni fere deditum, in actionem omnem machinationem du-

cit. Quo tamen pacto tam praestans in ventum sit perfectum, videamus. Labente 1819 anno, Oersted filum platini, cum incandesceret ex electricitate, oscilaciones acui magneticae (super quam positum erat) transferre, animadvertit. Hoc fretus principio Ampère nobis paulo post demonstravit electromagnetismum, qui, uti verba sonant, in electridis actione super magnetem consistit quod est fundatum ac motoriorum basis. Qui primus, istis innixus principiis, ut electricitatem evolveret ad motum nanciscendum operam navavit, Dal Negro appellatur. Anno autem 1839, Jakobi Petersburgensis formale inventum machinæ electromotricis excogitavit quae lintrî coaptata aliquas horas in flumine Newa motum impegit.

Exitus nondum satis faciens evaserat, id quod procul dubio inventoris animum ademit, cum post adhibitam 128 magnorum elementorum pilam 3/4 equos vaporarios est dumtaxat adsecutus. His non obstantibus in variis electridis expositionibus diversa motoriorum genera exhibita sunt et quidem opportuna, quae Froment, quae Fontaine, quae praecipue Deprez recentibus ferme compar. Expositionis 1881 occasione motoria perfectiora quidem, magnitudine vero parva prodiere. Aliquot post annis ita completa sunt ut centena doliaria vel diuturna tempestate trahendi capacia fiant.

Nihilo quidem secius, examina jam capta ad applicandam ipsi transatlanticarum navium motui electricitatem, non probe evasere. Commissus tamen elucubrationi est tam novissimus qui dicitur progressus.

Carolus CATÁ, C. M. F.

(Communiter receptum est) Quo plus studii laborisque in Latinas insumitur litteras, eo majorem inde efficientiam aptioremque verborum structuram ad usum patril sermonis traduci (Plus Papa XI. Epist. Apost., «Unigenitus Dei Filius» mart. 1922.)

CURSUS GYMNASTICUS⁽¹⁾

CORYDON

Aspice, aratra jugo referunt suspensa juventi,
et sol crescentes decedens duplicat umbras.
Me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?
A Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexis.

Referre: volver. — *Juvencus:* novillo. — *Jugo:* ablativo regido de *suspensus*. — *Decedere:* retirarse. — *Urere:* abrasar. — *Quis:* en prosa diríase *qui*. — *Modus:* medida. — *Adspice, aratra jugo...* este verso y el siguiente constituyen dos metáforas con que quiere expresar que todas las cosas con el ejercicio, después de algún tiempo, tienen su fin, pero el amor por el contrario parece que va siempre en aumento, como se declara en el verso siguiente *me tamen urit amor*. Antítesis bella. — *Quis enim modus adsit amori?*: epifonema. — *A Coridon, Coridon:* exclamación de hondo pesar; la repetición añade mucha fuerza. — *Capere:* apoderarse. — *Quae dementia:* qué locura. Parece que Coridón reconoce, aunque tarde, las locuras a que le ha conducido el amor y resuelve como remedio volver a sus habituales ocupaciones, según lo afirma en los versos siguientes. — *Semiputatus:* medio podado. — *Quin:* por qué no? *Vimen:* mimbre. — *Parare:* procurar, preparar. — *Detexere:* tejer. — *Potius:* antes bien. — *Quorum:* podía haber dicho *quibus indigeo:* se ve con más frecuencia en genitivo. — *Quin tu aliquid:* en estos dos versos se echa en cara a sí mismo el haber olvidado los propios deberes. — *Fastidire:* desdeñar. Alexis desprecia a Coridón. Acaba la égloga desecharlo a Alexis. Como dijimos en un principio, esta Egloga que se compone de 73 hexámetros, es imitación de un idilio de Teócrito, a quien sin embargo aventaja Virgilio en perfección.

M. LÓPEZ DE ZUBIRIA, C. M. F.⁽²⁾

(1) Cfr. n. 8, m. Majo, p. 119. — (2) In pag. 87 ante versus: Nec sum adeo... sequentes versus cum commentariis erant ingerendis.

Despectus tibi sum, nec qui sim quaeris, Alexi,
quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus aquae;
lac mihi non aestate novum, non frigore defit.
Canto, quae solitus, siquando armenta vocabant,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracinthi.

EXERCITATIONES SCHOLARES

Censorinus Palaestritis suis

Romanus homo pressius etiam quam nos, Romanorum suboles, comparationum gradus distinguebat et numeros et modos. Sic cum inter duo tantum instituebatur comparatio non superlativum sed comparativum gradum adhibebat, ut aequum est. Unde dicebat *uter vestrū major natu est, non maximus natu; validior manuum, non validissima manuum.*

Quoad numerum etiam quam verius nobis loquebatur cum dicebat: *adulatori aures praebet non aurem; damnatus fuit sententiis judicum non sententia: stellarum cursus sempiterni, non sempiternus; volatilibus avium cantibusque; non volatu avium et cantu.*

De modo quis non videt sensum optativum *in sis felix* potius quam *in felix esto*. Quidquam est in rerum natura, quamvis me fugit cum dico: *uticumque se res habet non habeat*. Modus enim subjunctivus animi dubitationem profert.

Libri Novi Testamenti. Novum Testamentum legere nequeas quin in admirationem adducaris propter veritatis, novitatis, majestatis indolem quam exhibet ille sublimis, perquam singularis atque inimitabilis liber, qui ex se notum facit non esse ab hominibus inventum sed divino Spiritu afflatum. Sublimitas in speciebus, augusta in dictioibus simplicitas, novitas atque integritas doctrinae, praescriptionum non ita multarum praestantia et amplitudo, aequabilitas mirabilis ad naturam hominumque necessitates, caritas ferventissima quam magna cum liberalitate semper in omnibus fovet, ac denique, sensus aenigmatisus vereque theologicus in ipso contentus... partes sunt haec omnia atque opportunitates quae in nullo ingenii humani fetu possunt inveniri.

Aloisius HERRERA, C. M. P.

De Thesauro abscondito. Dives agricola se ad mortis horam accedere animadverterns filios ad lectum apud se vocavit atque: Hoc habete, inquit, meum omnem thesaurem in vinea absconditum esse; quem quo loco posuerim nescio, ideoque si distribuere vultis, illuc vobis quaerendum est neque dubito quin eum inventuri sitis. Simil atque pater e vita migravit filii thesaurem exquisierunt. Vineam effoderunt neque ullam terrae

partem non subverterunt; at truxtra omnino, non enim in optatum thesaurem offenderunt.

Serius unus fratrum: minime, inquit; pater nos non fecellit cum adseruit omnem thesaurem in vinea esse absconditum; liquido enim, patet ex copiosa messe quam laboris caussa obtinuimus. Thesaurus, igitur, de quo nobis pater est locutus absque dubio labor est.

Onesimus AGORRETA, C. M. P.

Attentio. Attentio est mentis intentio ad rem. Ut bene cogites, attendere necesse est. Securis non secat quin adjungatur arbore; falx non metit quin culmo adhaereat. Interdum animo res occurrent non intendent, ut accidit, videare et non auscultare. Sed notitia quae sic mente concipitur semper inconstans, tenuis est, semper imperfecta atque omnino falsa. Sine attentione dissoluti sumus, et mens nostra, ut ita dicam, alibi est ideoque quod animo ostenditur non videt. Maximi est momenti consuetudo attendendi ad ea quibus studueris quaeve egeris adipiscenda, nam si recte animadvertas, quod nobis deest saepe, non est ingenium, vi cuius ea intellegamus quae aspicimus, legimus, audimus, sed intentio animi ad ea de quibus agitur.

S. VILLAR, C. M. P.

Per orbem

Certanem Poëticum Hoeufftianum. Pauca nosse juvabit de poëtico certamine quod annum Amstelodami, ex legato Hoeufftiano, indicitur.

Jacobus igitur Henricus Hoeufft in oppido Dordrecht anno MDCCCLVI natus jam a prima aetate ad bonas litteras ingenii acumen adeo intendit ut declimum quartum vix agens annum, Hagae in sedem studiorum coaptandus adstantium admiratione, Latinam eamque luculentam habuerit orationem. Admodum adulescens peritus legum Lugduni Batavorum dictus Hagam revertit, ut rem publicam capesseret, et quattuor annos magnis functus honoribus, Bredam se recepit ubi litteris abditus diem obiit extreum.

Opera quae vernacula lingua conscripsit praetermitentes, Latino sermone prodicta quaedam hic tantum memorabimus: Carminum episodim, Pericula poëtica, Carmina juvenilia et Parnassum latino-belgicum.

Cum tanto igitur amore prosecutus fuisse poëtarum studium, nihil mirum quod testamento apud Naarmen peracto pecuniam ad id poneret ut Regia Academia Nederlandica aureum nummum quotannis tribueret illi qui poëtico vitor rediret certamine.

En vobis, lectores humanissimi, origo certaminis poëtici Hoeufftiani, quod singulis annis in Batavia celebratur; nunquam desunt in ipso, qui lauro suum caput accingant atque nobis ostendant Latinam linguam penitus non exsulasse ab illo aureo antiquitatis regno.

Internationalis hominum linguis peritorum Conventus. Genevae celebrabitur Augusto percurrente mense anni 1931. Delegationi ordinationis scientiaeque præparationi præest Professor Genevensis Universitatis Ch. Bally, cuius delegationis notarii munere fungitur Professor Alb. Secheyae. Directionis

Sedes: Rue de l'Université, 5, Genève (in Helvetia).

J. M. GIRAL, C. M. F.

Italus Balbo. Peracto feliciter aero itinere ex Italis finibus ad oras Brasilenses magno alivehum agmine per invictos adiatores quorum dux exstitit Italus Balbo, cives Romani Majorum suorum vestigiis insistentes Romana civitate virum egregium donaverunt. Litterarium monumentum quo Balbo Romanus cives est renuntiatus composuit ille litterarum Latinorum cultor eximius Raphaël Santarelli cui publica omnia Romae recentia epigrammata committi solent concrienda. Illiusmodi igitur documentum lectoribus degustandum proponimus.

Franciscus Boncompagni Ludovisi Aliae Urbis Gubernator Quattor viro Italo Balbo aëriis copiis Praefecto salutem.

Veterem Nos Majorum nostrorum morem sectantes, qui existimarent Patriae ornamento sibique laudi esse si Viros præclaris meritis ornatos virtutibusque præstantes sua Civitate donarent, de eo munere, quod potissimum apud nos est, Tibi ultro ac sponte deferendo cogitavimus.

Tu autem optatissimi Ducas voluntati obsequens, necessariis ad tantum iter diuturno studio comparatis, aërias machinas, Italo extractas ingenio easdemque—quod nemo adhuc usque temptaverat—frequenti agmine constitutas, ab oris Ausoniae una cum delecta Sociorum manu ad Brasiliæ litora feliciter perduxisti, celerrimo per adversam tempestatem cursu; id præ oculis ostendens, quantum valeat Itala Virtus Lectoris aucta Fascibus.

Quapropter Te, præclarum Virum et ob eximias animi virtutes optime de Patria meritum, Romana Civitate donari decrevimus atque illos inter Viros cooptari, qui honoris caussa Civitatem nostram adepti sunt.

Quod his litteris consignavimus, ut animi nostri erga Te benevolentissimi testimonium exstent.

Romae, in Arce Capitolina, decimo Kalendas Martias, anno Domini millesimo nonagesimo tricesimo primo, Principatus Victorii Emmanuelis III Regis tricesimo primo, Lictorii Nominis nono.

Biblioteca St. Pacià. Col·lecció catalana de clàssics cristians, publicats sota l'alt Patronatge de l'Emm. Sr. Cardenal-Arquibisbe de Tarragona i del Exm. Sr. Bisbe de Barcelona.

Incoepum illud quemnam habeat scopum satis ex adnuntiatione perspicuum evadit. Catalaunorum ut aliae in Europa excultissimae Gentes praeclariora Christianorum Scriptorum opera ad manus volunt habere. Votum hoc saepe numero patefactum nunc tandem exceptit perficiendum Domus Editrix C. I. A. P. cui protinus studiosam obtulit operari optimus quisque terrae scriptor. Ejus autem patrocinium suscepérunt et Emm. Purpuratus Pater Dr. Vitalis Barraquer et Exmus. Episcopus Dioecesanus Dr. Irurita qui etiam largam operi benedictionem impertierunt. Reliquum est igitur ut editores omnem impendant curam in voluminibus pulcre et perfecte edendis, quod et auctores expostulant et emptores, cui quidem rei minime deerunt.

E. J.

Bibliographia.

Llobera J., S. J. «*Cato Major de Senectute et Laelius de Amicitia*.» Introd. y notas, XLII, 201 Pag. Ed. Razón y Fe, Plaza de Sto. Domingo, 19, Madrid, 1926.

Opuscula haec cum ex sese utilissima tum maxime additis in introductione et Ciceronianis judicis et annalibus et adjunctorum notitiis, quae Rdu. Pater Llobera ex variis scriptoribus exerpsit. Notae illae ad calcem textus passim adpositae quae adeo conferunt ut Ciceronis sensa prorsus interpreteris ex Jarava;

P. Isla, Valbuena, Cejador, Dübner Romarino, ut habet auctor, desumptae sunt. Quas tamen plerasque remissus ad duas ejusdem auctoris grammaticas ibi tantum, lector, cognoscere poteris; quod quam sit molestum nemo non videt. Operae tamen pretium est hunc sibi laborem suspicere qui non erit saepicule sine commodo. Ad extremum invenies etiam verborum atque circumlocutionum quarundam indices uniuscujusque opusculi satis opportunos.

Delmás T. A. D. «*Collection pour l'enseignement des langues vivantes.*»

Laudibus nostris non eget «*La Collection Delmás pour l'enseignement des langues vivantes.*» Apud omnes institutionum sedes communis plausu jamdiu est accepta et summe commendatur continentibus editionibus, quibus est honestata. Hujuscemodi conlectionis auctores ingenio atque industria intuitivae methodi omnes rationes applicarunt et sine labore obtinent ut alumni quasi per ludum idiomatis usum facile adquirant, exclusa fere omnino atque sapienter inutili atque indigesta regularum sarcina. Praeceptoribus omnibus maxime commendatum opus utilissimum: volumus qui quam prius prospectus atque specimina explicatoria postulare debent. In alio hujus numeri loco indicem quaternionum inseruimus laudatam conlectionem integrum complectentium.

Jos. Schmid, S. Theologiae Doctor. SS. Eusebii Hieronymi et Aurelii Augustini Apistulae mutuae.— Edidit prolegomenis et notis instruxit Fasciculus XXIII «*Floregii Patristici*» tam veteris quam mediæ aevi auctores complectens. Ed. Bernhardus Geyer et Johannes Zellinger.

Inter elegantissima «*Florilegii Patristici*» opuscula, eminet et curiositate et utilitate, nostra quidem sententia, fasciculus XXIII. Commercium illud

epistularum Augustinum inter et Hieronymum exscerpsit Jos. Schmid, S. Theologiae Doctor ex editionibus criticiis J. Hilberg et A. Goldbacher in CSEL (1), a quibus non temere dissensit in his quae ad orthographiam et interpunctionem pertinent. Prolegomenis, in quibus chronologiam satis complicatam epistularumet quaestiones ab Aug. et Hieron. dissertas breviter tractavit, bibliographiam addidit selectam ad emolumentum illorum, qui diligentius studio harum quaestionum se dare desiderant. Typographi plus+satis peccaverunt in hoc opusculo quam solent, quamque prodit adpositum primis paginis mendorum pitacium.

Menéndez Pidal R. «*Orígenes del Español*». *Estado lingüístico de la Península ibérica hasta el siglo XI*, 2 ed., tom. I. Madrid, calle de Quintana, 3d; 1929.

Remotissimi linguae Hispanae termini hoc quidem conspicuo opere belle explicantur ubi illarum affatim rerum, quae in praehistorica fere umbra hodie dum obversabantur, veniunt tandem in historiae sermonis dominium. Quod ipse in prologo auctor advertit, eo praesens opus intendit, ut serotinas linguae Hispanae origines, quatenus scilicet ex documentis noscuntur, breviter exponat, quod insuper est quasi praelibatio «Historiae generalis idiomatis», studiosis linguae vernaculae ab erudito auctore obferendae.

In quattuor partes opus dispescitur, extensionis haud ita adaequatae. Prima diversas glossas et documenta linguae antiquiora preebet (pag. 1-49). Altera de grammatica, hisce autem subdivisionibus, graphia, phonetica, morphologia et syntaxi, lexicologia, abunde pertractat (pag. 50-433). Tertia de Regionibus atque aetatibus hac quidem ratione: Hispania Mozarabica, Asturiae atque Leonis Regnum, Regio Navarra-Aragonica, Comi-

tatum et Regnum Castellae; quaedam principia geographica chronologica, aetates linguae Hispanicae formationis (pag. 434-542). Quarta ut «Conclusiones» nonnulla adfert de «los Bables» et de documentis paelitterariis, de natura litteraria pristinarum in Paeninsula aetatum, de aetatum primitivarum charactere, de legibus phoneticis, de linguae mutabilitate... (pag. 543-574). Accedunt denique nonnullae additionum correctionumque pagellae (pag. 575-585). Opus pulcre decoratur nonnullis toponimicis tabellis, iisque interdum polychromatis Fastigium hujus primi solidi voluminis erit alterum in modum Glossarii vocum in hac originum periodo usitatarum.

Arnaldi, F. «*Cicerone*» VIII-191 págs. Gius Laterza: Bari. -1929.

Tam multa de oratore Romano scripta sunt ut quidquam novi conari temerarium videatur. Attamen F. Arnaldi librum suum ea novitate honestavit ut quamvis nihil in eo novi fortssae reperias ejus paginas jucundissime et legendu percursas et gustando.

Ciceronem preebet virum in dicendi et cogitandi arte preestantissimum cuius indoles omnibus in scriptis ejus deprehenditur. Admirationem quandam habet in vita forensi perpetua animi agitatio quae rem publicam in frequentibus operibus ea dexteritate adumbrat et eleganter et numerose ut principem litterarum Latinoram adpellari meruerit. Cicero est vir in arte preestantissimus et ejus scripta pulcherrima artis monumenta. Quod si ars perennitate gaudet, perennior erit Ciceronis apud gentes recordatio. Inde auctor arguit quanta utilitate et commodo institutio litteraria per Ciceronem obtineri valeat.

Henri Frei, *La grammaire des fautes*. Paris, Geuthner, 1929, 314 pag. 40 fr.

Lectoribus nostris hunc quidem librum obferimus, ubi lingüisticam notitiam atque philosophicam ab auctore

(1) *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum*.

mire consociatam cernent. Quod facile ex inscriptione ipse promes, id sibi auctor animo proposuit, ut ex ei adjunctis ad linguam spectantibus quae nomine «fautes, innovations, langage populaire, argot, cas insolites au litigieux, perplexités» (p. 32) venire solent, certam Grammaticae methodum extrueret, quaeque, etsi Gallicae in primis linguae adcommodata, cuilibet tamen sermoni conlustrando. mutatis quidem mutandis, inserviret.

Introductio, eaque ex intima linguae philosophia, ad Lingüisticam functionalem praemittitur, in qua (p. 17-39) et ad rem pertinentia nonnulla ab auctore enucleantur, et operis, quod adgreditur, fines designantur. In quinque deinde solidis capitibus, ubi eminent exempla, ea fere omnia linguae seu potius «stili» phaenomena origine atque ratione perpenduntur, quae auctor sub praecipuis «besoins» apte coacervavit.

Ratio autem impressionis non omnino placet, forsitan quia in disciplina adhuc nova versemur. Speramus tamen fore ut in subsequentibus editionibus opus veri manualis Lingüisticae functionalis gerat vices, limitibus in tradenda disciplina strictius discretis. Quaedam vero adsunt doctrinae, quae, nostra quidem sententia, aliquis forsitan insimulet, ut nonnulla, quae de partibus sermonis adferuntur (p. 133), definitio praepositionis: «La préposition est un verbe transitif condensé» (p. 177), et vel eadem abyssus, quae inter functionalem et historicam lingüisticam statuitur (p. 25). His vero non obstantibus, in numero eorum id operis censemus adscribendum, quae facem studiosis paeferunt

ad summa pro linguae studio capessenda.

E. JOVÉ, C M. F.

Kaiser, R. Bibliotheca Philologica

Classica. Beiblat Zum Jahresbericht über die Fortschritte der Klassischen Altertumswissenschaft. Band 55, x-240 S. OR.-Reisband, Leipzig-1929.

Volumen hoc indicem continet locupletissimum operum omnium quae a. 1928 de antiquis disciplinis prodiere.

Quantum vero referat hujusmodi indices in promptu habere, norunt omnes quicumque de rebus classicis investigationem profundiorem instituere volunt; impossibile est enim praesentem hucusque horum studiorum statum absque his subsidiis cognoscere.

Nostros tamen lectores monemus in hoc opere nudum reperturos esse auctorum atque operum indicem, ita ut de operibus ipsis judicium desideretur.

Academia Polona Litterarum et Scientiarum. Commentationes

Vergilianae; 431 pag. Cracoviae, (Varsoviae) apud bibliopolam Gebethner et Wolff, 1930.

Decurrente a Vergilii nativitatis anno bis millesimo et ut «ne a concursu omnium cultus humanitatisque Latinae participum» abesset florentissima Polonorum natio, inlustris Academia Polona Litterarum et Scientiarum, nuper refermissimum librum edidit cui titulus «Commentationes Vergilianae» cujus conspectus libenter proponimus: «De amicitia et amore in Vergilii Bucolicis» (Kowalski), «De portus Lybici descriptione

NUMMARIA (Banca) ARNÚS
FUNDATA A. 1846

Omnia pertractantur quae propria sunt nummariae, bursae,
collybi, valorum, faeneratitiae, gyrorum

BARCELONA, Plaza de Cataluña, 23-Virgenes, 32 - Tel. 29, CERVERA

Vergilianae» (Schayder), «*De Vergiliis rebus bacchitis*» (Sinko), «*De dinosi Vergilianae*» Smereka, «*Quaestiones apiaiae Vergilianae*» Stenbach, «*De studiis Verg. in Univer. Yagellonica priore s. XVI parte florentibus*» (Kumaniecki), «*De Bernardo Silvestri Vergili interpretate*» (Skimina), «*De Vergili poëmate propheticos*» (Poplawski).

Summa animi delectatione eruditissimas operis pagellas percucurrimus, splendidumque hoc cultus classici specimen magno plausu prosecuti sumus gentis *apud quam Vergili opera inde a saeculo XII diligenter lectitata multis ingenis incitamento erant atque alimento.*

Clementis Janicij poëtae laureati

Carmina. Edidit, praefatione instruxit, adnotationibus illustravit Ludovicus Cwiklinski - Typis Universitatis Jagellonicae. Provisore J. Filipowski. 1930.

Clemens Janicius (cujus nomen Polonum Janicki) unus fuit ex praecipuis poëtis qui renascentium litterarum aetae in Polonia floruere. Die 17 Nov. anni 1516 in pago Januszkowo prope Snenam urbem natus, Cracoviae vita functus est sub finem anni 1542. Virgilii, Ovidii aliorumque poëtarum Romanorum carmina jam a prima institutione cognovit, tantoque poësis amore exarsit, ut Patavii, quo sese ad studia in Universitate complenda contulerat, lauream poëticam adipiseretur.

Ejus carmina, plures separatim edita, nunc demum in unum volumen conlegit Ludovicus Cwiklinski. In VIII libros dividuntur. I) Tristia. II) Variae elegiae. III) Epigrammata. IV) Carmina ad Rempublicam spectantia. V) Epithalamion. VI) Vitae regum Polonorum. VII) Vitae archiepiscoporum Gnesnensium. VIII) Carmina conlecta. His praecedit clarissimi editoris praefatio documentis instructa de editionis carminum Janicianorum fontibus ac ratione, de Janicij vita ejusque poësi; comitantur adnotationes historicae et criticae quae textum magno quidem opere inlus-

trant, et in quibus editor miram eruditionem ostendit; accedit appendix epistles continens a Janicio et ad Janicum scriptas, documenta ex actis epicopatus et officialatus Cracoviensis, carmina in Janicij laudem conposita, ac denique ordine litterarum indicem nominum ac rerum.

Janicius in carminibus non nisi distichum metrum adhibet; ejus poësis uberibus sublimibusque sententiis, pulcris descriptionibus et comparationibus, Ovidiana facilitate (cujus plures sententias ac versus transcribit), et vi vere poëtica commendatur. Ut praestantissimi elogorum poëtae, artificiosa versuum structura uniformitatem seu monotoniam devitat. Hoc tamen non satis placet quod poëta non semel propositum deserit argumentum, et in alienis descriptionibus diutius inmoratur. Optandum quoque erat ut potius Deum, B. Virginem et Sanctos quam, suae aetatis more, paganorum divinitates invocaret. Plura de indole Janicij poësis videbit lector in doctissimi praefatione editoris, cui ob egregii Poloni vatis carmina diserte in lucem edita, ex animo gratulamur.

H. MARTIJA, C. M. F.

Hoc numero annus scholasticus primus PALAESTRAE LATINAЕ explicit feliciter. Salvete, lectores, atque valete usque ad m. octobrem.

INPRIMI POTEST.

**Nicolaus García, C. M. F.
Sup. Gralis.**

NIHIL OBSTAT

**Clemens Ramos, C. M. F.
Censor**

INPRIMATUR

Valentinus, Episc.

Typegraphia F. Camps Calmet. - Tarregae